



Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Tomus Divinus und fürnehmlich das Evcharistiale, Das ist: Lehrreiche Predigen Auff verschiedene hohe Fest deß Drey Einigen Gottes/ und Jesu Christi unsers Herrn ...

Barcia y Zambrana, José de

Augsburg, 1720

Dedicatio Authoris. Catholicæ Majestati Augustissimæ Reginæ, ac Dominæ nostræ Mariæ Annæ De Austria, Serenissimæ Matri Pientissimi Monarchæ, & Domini nostri Caroli Secundi Hispaniarum Regis, ac ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76523)



DEDICATIO AUTHORIS.
CATHOLICÆ MAJESTATI

Augustissimæ Reginae, ac Dominae nostræ

MARIÆ ANNÆ
DE AUSTRIA,

Serenissimæ Matri Pientissimi Monarchæ, &
Domini nostri CAROLI Secundi Hispaniarum
Regis, ac Imperatoris Americæ.

AUGUSTISSIMA DOMINA.

EST sua adamanti quoque (1)
virtus Magnética. Nam si-
cuti magnes ferrum : sicut
electrum stipulas, ita & Ada-
mas generosissima sua virtu-
te abjectas usque aded paleas ad se rapit,
nec dedignatur vel (2) humillimis istius-
modi reculis, quas ad se trahit, amorem, &
calorem suum impendere. Atque nobilif-
simam hanc indolem in Austriaco (3)
Adamante vigili oculo, ac mente observa-
vit Adamus Weberus. Et planè verissi-
mum hoc est in serenissima Majestatis ve-
stræ Domo; quippe cujus clementissima
munificentia hominum corda suaviter,
perinde atque fortiter allicit, atque in sui
æstimationem dulci impulsu, in veneratio-
nem efficaci tractu, & in admirationem
denique ineluctabili potentia cogit. Hanc
proin (4) attractionis vim, & innatam Ma-
jestati vestræ clementissimæ pietatis virtu-
tem quisquis cognitam habuerit (ignora-
verit autem nemo gentium) continuo hu-
millimæ venerationis meæ audaciam ex-

(1)
Gato, ab hort, lib. 1. aromati. cap. 47.

(2)
Nec infimâ spernit. Picinel, lib. 12. Sym-
bol. 32.

(3)
*Est & sua adamanti Austriaco Magné-
tismus, quo laudatissima hujus domus Princi-
pes homines trahere, & allicere consueverunt.
Trahunt verò in amorem suaviter, in véné-
rationem efficaciter, in admirationem poten-
ter.* Weber in Adamant Austriacæ disert.
3. & ex eo Picinel. ubi supra.

(4)
Rudolphus Austriacus sic solebat dicere:
Sinite homines ad me venire. Justus Lipsius
lib. 2. mon. Polit. cap. 7.

DEDICATIO AUTHORIS.

cusabit, quòd exiguum hunc libellum ad regios Majestatis vestræ pedes apponere decreverim. Fateri etenim possum, imò & debeo fateri, hunc librum non sponte venire, sed à Majestate vestra ea suavitate, efficacitate, & potentiâ attrahi, ut ne sua quidem tenuitate sisti possit, & ab accessu arceri. Quare accedenti mihi indubitata imminet spes, fore, ut Majestas vestra in celsissimum subsidium suum eundem sit admittura; idque tum ob materiam, quæ pertractatur, tum ob ipsam vestram Majestatem, cui offertur, tum propter ipsumet librum, qui offertur.

Atque ob materiam quidem, quia sunt sermones de eminentia, fructibus, & effectibus, quos habet summum fidei nostræ Sacramentum, & Augustissimum Altaris Mysterium. Est autem teste Divo Chrysostomo magnificentissima hæc Evcharistici Solis mensa illarum animarum propria, quæ (5) aquilæ sunt. Quamobrem divinum hunc Solem non alterius cujusque oculis præsentaverim, sed vel maximè Catholicæ vestræ Majestatis obtutui; utpote quæ tanquam Austriaca Aquila & radios (6) illius immota acie contemplari, & spiritum suum ad amantissimi divini Solvis hujus (7) calorem felicissimè novit innovare. Nempe avelli non possunt ab ineffabili altaris Mysterio Austriacæ (8) Aquilæ.

Dein propter ipsam quoque Majestatem vestram; Generoso enim, verèque regio animo obsequium quoddam præstari credo, si simile quid offertur, unde stimulum accipiant ad exercendam gratam quandam acceptorum recognitionem. Tertulianus certè simili ferè argumento Gentiles Romanos insectatur; quatenus scilicet præsumerent atque existimarent, se tantam imperii sui amplitudinem, exaltationemque adeptos esse in (9) Religionis suæ præmium. Siquidem superstitiosa illa tot, tamque variorum, & non nisi ficto-

(5)
Aquilarum, non Graculorum hac mensa est. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor.

(6)
Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 18.

(7)
August. in Psal. 102.

(8)
Ubiunque fuerit SS. Evcharistia corpus (Joan. 12.) illic congregabuntur & Augustissima Domus Austriacæ Aquila. Erath. Dedicat. Sereniss. Leonoræ Mar. Reg. Pol.

(9)
Ille presumptio dicentium, Romanos pro merito religiositatis diligentissima in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint. Tert. Apolog. cap. 25. Pamel. ibi. n. 392.

DEDICATIO AUTHORIS.

rum Deorum religio ampliandæ, evhen-
dæque ditionis præmium neutiquam esse
poterat. Quod tamen in Majestate vestra,
& Augustissima ejus Profapia manifesta,
notoriaque veritas obtinet, quippe quæ
summi Imperii fastigium Catholica piete-
te, & devotissima erga adorandum Alta-
ris Mysterium, in quo fides vera verum
DEUM, & Hominem CHRISTUM JESUM
veneratur, religione promeruit. Atque
de hac religione, de hac felicitate gloriari
potest vestra Majestas: ego verò me secu-
rum jam esse jubeo, Majestati vestræ ac-
ceptum, gratumque fore submississimum
hunc meum affectum, quo sermones hos
Eucharisticos tam excelsæ attentioni con-
fecro, ut nimirum monumentum quod-
dam sint, & exhibitio gloriæ, amplitudi-
nis, & celsitatis, atque etiam gratitudinis
illius, quam vestra Majestas tot iteratis oc-
casionibus ardentissima sua devotione, &
fer ventissimo cultu erga ineffabile hoc Ca-
tholicæ fidei mysterium demonstrat.

Non minùs & ipse liber propter se
ipsum huc festinat, Augustissima Domina.
Cum enim sit (10) navis illa, quæ de longè
portat vivum illum vitæ, & intellectûs pa-
nem in doctrinis suis, per quas fideles or-
thodoxos excitatos velim ad majorem re-
verentiam, devotionem, & præparatio-
nem, ut copiosiores ex hac veræ vitæ ar-
bore fructus percipiant: ideo navigationi
huic meæ per mundi hujus oceanum nullâ
aliâ viâ majorem præstare potero securita-
tem, ut in præsentius animarum emolu-
mentum emergat, quàm si faventissimis
Majestatis vestræ (11) *Austris* eam com-
mendavero, prospero itinere ad majoris
DEI gloriæ, & fidelium utilitatis portum
deducendam. Et hoc quidem sponsæ sac-
cræ exemplo, quæ & ipsa in canticis (12)
Austrum suum in hortum vocavit, rata,
ejus beneficio aromata sua ad optatam
perfectionem perventura. Hinc & ego in
ipem venio, doctrinas, quæ in hoc libro

[a] 5

(10)

*Navis institoris de longè portans panem
suum. Prov. 31.*

(11)

*Augustissima Domus Austriacæ beneficiò
Magnos progressus facturæ, navim depinxit,
quæ explicatis velis Epigrammæ monstrabat:
Aspirantibus Austris. Picinel lib. 20. Symb.
n. 68.*

(12)

*Veni AUSTER perfla hortum meum &
fluant aromata ejus. Cant. 4. v. 16.*

con-

DEDICATIO AUTHORIS.

continentur, affluente, & aspirante Majestatis vestræ clementia, ita vivaces fore, ut Christianorum corda efficacem inde veritatis fragrantiam sint perceptura. Nec jam dubito, quin pro communi bono volaturum sit (13) volumen istud, utpote tam Augustæ (14) Aquilæ alis, & patrocínio sublevatum. Porro authori, libróque ejus maximus vel ex hoc solo accrescit honor, (15) quòd eò jam pertigerit, ut in illo, veluti in throno augustissimum Majestatis vestræ nomen circumferatur.

Cæterùm Augustissima Domina Magnus æterni ævi DEUS vitam, & celsitatem Majestatis vestræ dilatet, & producat, prout assiduè precor; idque pro majori sanctissimi Nominis sui gloria, & universæ Reipublicæ Christianæ incremento,

Augustissima Domina

Ad Regios Majestatis vestræ pedes,
procumbit

Humillimus, & obstrictissimus Capellanus,
& servus

Doctor Don Joseph de Barzia
& Zambrana,

(13)

Ecce volumen volans. Zachar. 5.

(14)

*Data sunt ala dua AQUILÆ Magnæ,
ut volaret. Apoc. 12.*

(15)

*Beneficium hoc ipso jam accepimus, quod
frontes operum sola prescriptione vestra ho-
nestatis. Just. Lips. in dedic. Alb. Aultr.*

DEDI-